

## QUAESTIO

### VI

Circa distinct. 1 secundo assaero

UTRUM OMNI ET SOLA CREATURA LICITE SIT UTENDUM PROPTER DEUM? Et

Arguo primo quod non. Quia alias sequeretur, quod odio Dei quis licite posset uti propter Deum. Patet consequentia, cum odium Dei vel odire Deum sit creatura. Consequens falsum: quia uti odio Dei est assumere odium in facultatem voluntatis, per definitionem Usus datam ab Augustino 9. de Trinit. cap. 9. Uti, inquit, est aliquid assumere in facultatem voluntatis propter aliud; igitur uti odio est assumere odium: sed hoc nulli licet propter Deum; igitur nulli licet uti odio Dei propter Deum. Confirmatur: quia nulli licet odire Deum; igitur nulli licet uti odio Dei. Antecedens notum; et consequentia probatur: quia odium non potest assumi quin odiatur Deus, et per consequens nullus potest uti odio Dei, nisi odiendo Deum. Secundo confirmatur consequens esse falsum: quia pono quod Sortes habeat dictamen, quod omne aliud a Deo sit malum et odiendum: quo dictamine stante per horam, quaero An Sortes potest licite uti odio Dei, vel non? Si non: habetur intentum in casu praesistenti. Si dicatur quod sic: aut Sortes utitur odio Dei per usum qui est amor; et hoc non; quia contra dictamen et contra conscientiam esset, igitur non licite utitur sed peccat: aut utitur odio Dei per usum qui est odium; hoc non potest licite stante dictamine; probo, quia iuxta dictamen quod habet ipse habet odire odium odii, et si odiret istud odium odii non licite eliceret odium odii, sed detestaretur illud odium odii, et sic iterum peccaret. Patet igitur, quod stante dictamine illo Sortes nullo modo licite potest odire nec diligere odium Dei; et per consequens, nec uti. [129]

Secundo arguitur principaliter, quod non solum creatura sed etiam Deo licite sit utendum, sic: Licite possum nolle Deum esse miserum, et iniustum; igitur licite possum uti Deo. Antecedens est notum. Sed probatur consequentia: quia Deum me nolle esse miserum non est me Deum frui, cum nullum nolle sit frui, ut patet per quoddam **corollar** praecedentis quaestionis; igitur sic nolle, scilicet Deum esse miserum, est uti: cum secundum Gregorium de Arimino Ordinis Fratrum S. Augustini in primo non sit actus medius possibilis elicativus inter frui et uti, et secundum ipsum omne nolle est usus; igitur.

Tertio arguo sic: Deo est fruendum per praecedentem quaest. igitur Deo licite est utendum. Probatur consequentia per B Augustin. 10. de Trinit. dicentem: Omnis qui fruitur, utitur. Ex quo sequitur, quod omnis qui fruitur Deo, utitur; et non est necessarium quod omnis qui fruitur utatur alio a Deo, quia ponatur quod quis solum operetur elective circa Deum fruendo, tunc per dictum Augustinum talis utitur Deo, ut videtur; ergo.

Oppositum arguitur: solo Deo est fruendum, et caeteris omnibus est utendum licite, igitur quaestio vera. Antecedens est B Augustini 1. de doct. Christ. 26 dicentis: In his igitur omnibus rebus (scilicet quae sunt in universo) illae tantum sunt quibus fruendum est quae nos beatos faciunt, quas aeternas atque incommutabiles diximus; caeteris autem utendum est. Item 83. quaest. q. 33. Anima nostra, inquit, secundum Deum de caeteris iudicat; nec eo, scilicet Deo, utitur, scilicet usu licito, sed fruitur. Idem concludit ibidem: Omnia igitur quae factae, in usum hominis facta sunt; quia omnibus utitur iudicando ratio quae homini data est vel licite; ergo.

Circa istam quaestionem primo describam quid sit uti, et ex descriptione eliciam proportionem. Secundo ponam conclusiones. Tertio solvam dubia.

## ARTICULUS II

Describitur quid sit uti, et ex descriptione eliciuntur Propositiones. [130]

Quantum ad primum; describam illum terminum uti, praemittendo eius multiplicem acceptionem. Quandoque enim uti capitur large pro omni extrinseca actuali operatione cuiuscunque potentiae: quo modo dicitur 1. Reg. 17. de David, quod usum armorum non habuit. Quandoque etiam capitur minus large pro actu voluntatis quo aliquid mente pertractatur: et sic capit Augustin. cum dicit 10. de Trinit. cap. 19. Usus id est, uti est in voluntate pertractare ea quae continentur in memoria et intelligentia; et in eodem uti est aliquid in facultatem voluntatis assumere: et illo secundo modo capiendo uti est superius ad frui, quia omnis qui fruitur illo modo utitur, quia aliquid in facultatem voluntatis assumit. Tertio modo capitur uti prout distinguitur contra Frui: et sic capitur proprie, et describitur sic:

Uti est Agere rationalis creaturae secundum potentiam liberam elicitem, quo aliquid diligitur vel oditur vel assumitur propter aliud volitum actu vel habitu.

In hac descriptione totum hoc, scilicet agere rationalis natura secundum potentiam liberam elicitem, ponitur eadem ratione qua positum est in descriptione fruitionis. Sed hoc quod hic additur quo aliquid diligitur vel oditur vel loquendo generalius assumitur, dat intelligere quod non est unum simplex genus usus sicut est fruitionis; velle enim est aliud genus quam nolle. Et in hoc habetur prima differentia usus a fruitione: frui enim est velle et amare, nullum autem frui est nolle vel odire, ut dictum est supra; uti autem est indifferenter vel velle vel velle amare vel odire. Item secunda differentia **inter** uti et frui habetur ex eo, quod in descriptione fruitionis ponebatur incomplexum diligere, hic autem tacetur: ad insinuandum, quod uti potest indifferenter esse agere complexum vel incomplexum, quia aliquis est usus complexus et aliquis est usus incomplexus; omnis autem fruitio est amor incomplexus, vel amare incomplexum. Per hoc autem quod ultimo additur propter aliud volitum, habetur tertia differentia dictorum actuum: frui enim, ut dictum est supra, est diligere non propter aliud, et hoc duplici exclusione alienitatis; scilicet primo non propter aliud obiectum volitum, et secundo non propter **[131]** aliam rationem diligibilitatis priorem in eodem obiecto volito: sed hic dicitur quod uti est assumere propter aliud volitum, et non dicitur simpliciter propter aliud; quia ad hoc quod sit uti, propter dictum requiritur quod aliquid assumatur sive per velle sive per nolle propter aliud obiectum quod est volitum actu vel habitu: omnis enim usus est naturaliter posterior aliquo frui, in quod est reducibilis finaliter per Cur? et ultimate; et ad hoc quod aliquod velle vel nolle sit usus, non sufficit quod nolitum vel volitum referatur in aliam rationem in eodem ipso nolito vel volito. Verbi gratia: nolle Deum esse miserum ideo recte assumitur, quia placet Deum esse beatum; et per consequens, illud nolle per Cur? reducitur in illam rationem in eodem scilicet in Deum, et non in aliud obiectum totaliter: Idcirco dictum nolle non debet dici usus, nisi vellemus concedere quod licite quis posset uti Deo; quod non est usitatum. Requiritur igitur relatio actualis vel habitualis in aliud obiectum totaliter. Brevius autem potest dicta definitio aequipollenter sic exprimi: Uti est aliquid in facultatem voluntatis aliquod sumere propter aliud volitum. Haec est descriptio Augustini 10. de Trinit. ult. Uti, inquit, est aliquid in facultatem [...] ut prius et II. lib. cap. 25. Utimur illa re quam propter aliud quaerimus illud autem quod explicite dicitur in prima descriptione, scilicet agere rationalis naturae [...] Et etiam patet per Damascenum lib. 2. cap. 22. ubi dicit quod haec quatuor habent ordinem inter se definitum; finis, electio, impetus et usus; sic, quod usus tria praecedentia praesupponat. Nunc probo consequenter propositiones.

Prima propositio: Brutum nullo modo potest uti, ita quod uti minus proprie convenit brutis quam frui, imo nullo modo possunt uti. Patet ex notabili Damasceni, et ex prima parte descriptionis coniunctim simul.

Secunda propositio: Non omnis usus est sui obiecti dilectio, imo aliquis est odium sui obiecti. Patet de miseria odita.

Tertia propositio: Non est idem formaliter velle A propter **[132]** B, et velle B. Probatur: quia velle B est causa volitionis A propter B, igitur.

Quarta propositio: Licet eodem actu aliquis posset velle finem et ea quae sunt ad finem, nullus tamen potest eodem actu frui simul et uti. Prima pars probatur: quia eodem actu scilicet complexo possum velle per B potionem vel C herbam sanari, ita quod hoc totum complexum per B vel C sanari sit obiectum volitionis; igitur pars prima vera. Secunda pars patet: quia nullus idem actus est frui et uti, quoniam uti et frui distinguuntur oppositis differentiis, ut patet ex dictis.

Quinta propositio: Omnis volens A propter B, actu vel habitu vult B. Probatur: quia velle B actu vel habitu, est causa qua elicitur volitio circa A; igitur remota volitione habituali et actuali ipsius B, removetur volitio ipsius A propter B. Ex quo sequitur, quod omnis qui utitur actu vel habitu fruitur, aliud tamen utitur et aliud actu vel habitu.

Sexta propositio: Sicut volens A propter B, actu vel habitu vult B; ita volens A propter B vel odians A propter B, vult vel non odit B. Patet: quia si odio peccatum vel nolo peccare propter Deum, non nolo actu vel habitu Deum nec odio, saltem non oportet. Et sic patet, quod tam odium quam dilectio usus reducitur in volitum, et nunquam finaliter et ultimate in nolitum vel oditum, saltem hoc experimur in via: odio enim tristitiam, quia volo actu vel habitu eius oppositum; et sic de aliis.

Septima propositio: Non obstante propos. hic 5. non oportet quod aliquis utens habeat plures volitiones esse actu elicitas, sed sufficit actualis inclinatio quam vocare possumus amorem habitualem. Et ex hoc solvitur motivum dicentium, Eundem actum esse usum et fruitionem; usum scilicet rei qua refertur, et fruitionem rei in quam refertur: cuius opinionis fuit Adam, et sui sequaces. [133]

## Quaestio VI ARTICULUS II

Ponuntur Conclusiones.

Quantum ad secundum Articulum, sit prima conclusio: Quilibet actus voluntatis elicitedus incomplexus est frui vel uti, et nullus est neuter, vel uterque. Haec Conclusio habet tres partes, quarum duae ultimae primam consequentialiter antecedunt: et ideo prius probo ipsas.

Secunda pars dicit, quod nullus actus voluntatis elicitedus incomplexus sit neuter: contra Scotum dicentem oppositum. Probatur sic: Qualibet volitione vel complacentia incomplexa electiva aut statur in obiecto complacito inhaesive et quiesceretur, et sic est fruitio; aut complacitum refertur actu vel habitu in aliud volitum seu complacitum, et sic habetur usus; et non est possibile volentem elective velle, quin se habeat altero istorum modorum, id est, quin vel velit obiectum incomplexum propter se eo modo quo est expositum prius, vel propter aliud: quia non potest esse voluntas elective, nisi sic Cur? velit, et illud Cur? non potest esse sine altero duorum respectuum praedictorum, scilicet propter se vel propter aliud in ordine ad obiectum, secundum intentionem Venerab. Anselmi; igitur nulla volitio incomplexa electiva est neutra. Sed de volitione complexa patet quod est usus per dicta hic prius et in praeced. quaest. igitur cum quilibet elicitedus actus voluntatis sit velle vel nolle, sequitur huius partis in generali veritas. Secundo arguitur sic: Impossibile est voluntatem incomplexam velle nisi per se, id est, propter se volibile; vel volibile propter aliud, et nisi sic volendo; igitur: Item non potest nolle elective incomplexam nisi nolit actu vel habitu propter aliud; igitur. Consequentia est nota. Antecedens probatur: quia si oppositum antecedentis daretur, hoc esset pro tanto, quia voluntati potest ostendi aliquod bonum absolute apprehensum nec sub ratione propter se boni, nec propter aliud; et voluntas potest se tali iudicio seu dictamini conformare: haec enim est ratio [134] Scoti, propter quam ponit actum neutrum. Sed illud non valet: quia pari ratione probarem, quod voluntas posset velle vel nolle incomplexam quod nec praesentaretur sub ratione volibilis nec nolibilis; quod est impossibile. Item simili modo, si dictaret ratio per aliquod tempus nec esse volendum nec esse nolendum, voluntas posset se conformare tali dictamini per actum; quod implicat contradictionem. Similiter, si dictatur quod B sit assumendum in facultatem voluntatis,

et nec per velle nec per nolle, probaretur, si voluntas posset se conformare, quod assumeret B ad hoc non volendo et non nolendo; quod est impossibile. Patet igitur, quod ratio Scoti non valet. Unde dico: quod stante dictamine (scilicet quod B sit volendum vel in facultatem voluntatis assumendum nec propter se, nec aliud) nullomodo voluntas non posset se tali dictamini conformare plus, quam si dictaret quod volendum est et eliciendum, et tamen nec successive nec non successive.

Tertia pars conclusionis (quae est contra Adam) est, quod nullus actus elicitus etc. est utrumque, scilicet usus et fructio, sicut supra in 4. propos. tetigi. Probat: quia nulli eidem actui incompleto vel etiam complexo conveniunt differentia oppositae positae in definitionibus utriusque scilicet tam fructiois quam usus; igitur: non enim videtur conceptibile, quod eodem actu incompleto voluntas velit B obiectum propter se et non propter se, vel propter aliud et non propter aliud.

Sed contra arguit Adam primo: Volitio aliqua creaturae est relata; igitur ipsa aliquid diligitur propter se, et aliquid propter aliud. Consequentia est nota. Antecedens probatur: quia si non; igitur A eadem dilectio posset esse nunc vitiosa, nunc virtuosa. Secundo: Quaero (inquit) quid est habitu diligere aliquid propter aliud? Si habitus; igitur habens illum semper diligit propter aliud: Si est actus; hoc est contra experientiam, quia non experimur quod habeamus tot actus. Tertio: Dilectio, inquit, quo angelus diligit Christi humanitatem, est simul usus et fructio; quia dilectio est Dei mediatoris, qui simul est Deus et homo.

Respondeo: Ad primam et secundam simul; patet solutio ex [135] propos. 7 praeced. artic. Et ad formam primae dico: quod nullo eodem actu diligitur actualiter aliquid propter se et aliquid propter aliud; sed si actualis amor est alicuius propter se et alterius propter aliud, hoc est necessario distinctis actibus: neganda igitur est consequentia, si per dilectionem creaturae relata intelligit actualem dilectionem incompleto, qua aliquid refertur actu in aliud non actu, licet habitu volitum propter se: si autem per dilectionem relata intelligit aliquam dilectionem eandem, quae esset actualiter relatio et dilectio illius in quod refertur; tunc negandum esset antecedens: quia nullo eodem actu hoc fit, sed alio refertur et alio fruitur, id est, per alium refertur et per alium fruitur. Et ad probationem antecedentis nego consequentiam. Ad formam secundae rationis non video bene quomodo faciat ad propositum: dico tamen, quod habitu diligere non oportet quod sit diligere proprie, nec quod sit actus; sicut dicimus habitualiter diligere Deum eum qui dat eleemosynam propter Deum, nihil cogitando actualiter de Deo, sed quasi inclinatione quadam fertur in Deum per habitum: nec oportet habere pro inconvenienti videri in eo, quin habitu stante continue habeatur huiusmodi habitualis inclinatio, et forte non semper percipitur. Ad tertium dico: quod nullo uno actu praecise incompleto angelus diligit Christum secundum utramque naturam; sed si angelus habet amorem incompleto de Christo, tunc aut est personae Christi, et sic est fructio; vel est naturae divinae, et sic iterum est personae divinae fructio; si autem est naturae humanae, sic est usus.

Ex his duabus partibus sequitur prima pars conclusionis, videlicet, quod quilibet actus voluntatis elicitus incompleto est fructio vel usus: quia nullus est neuter, per secundam; et nullus est uterque per tertiam partem: id est: quilibet qui est vel erit, est vel erit alterum illorum, scilicet frui vel uti: quod fuit probandum in prima parte. Ex conclusione patet, quod non cuilibet dictamini voluntas potest se conformare per actum elicitum: patet ex dictis contra Scotum. Secundo patet, quod inter uti et frui non est dare medium actum elicitum incompleto, et hoc loquendo de medio per abnegationem utriusque extremi. Tertio coniunctis quibusdam [136] veris sequitur, quod nulla una et eadem re quis potest simul frui et uti licite, sed qualibet re est solum aut recte utendum, aut recte fruendum. Et hoc dico contra quosdam ponentes rem mediam, qua nec proprie sit utendum, nec fruendum: rationes faciunt de Christo mediatore, de odio et virtutibus [...] Probat: quia quaelibet res est aut infinite bona, et tunc ea est fruendum; aut non est infinite bona, et tunc ea est utendum. Item quaelibet res aut potest diligentem facere beatum, et sic est ea fruendum; vel non potest, et sic est ea utendum.

Secunda conclusio: Licet quaelibet res sit utilis (non dico recte utilis) non tamen quaelibet res est propter aliud diligibilis. Probatum prima pars: quia Deo quis potest uti, licet perverse, et qualibet alia re citra Deum est recte utendum; igitur. Secunda pars patet de summa miseria, vel de esse miserum; et capio rem in Conclusionem large prout etiam extenditur ad complexe significabilia, ut ea intelligatur quod quodlibet aliquo modo esse potest esse obiectum usus, sed non quodlibet aliquo modo esse potest esse obiectum dilectionis creatae. Ex quo sequitur corollarie, quod non omne utile est amabile, nec omne uti est diligere propter aliud.

Tertia conclusio: Licet quilibet illicitus usus sit peccatum non tamen quilibet licitus usus est meritum. Prima pars est nota. Et secunda probatur: quia laus elemosinarum propter Deum non existens in charitate, licite utitur volendo bonum pauperi propter Deum. Item diligens proximum propter Deum vel sic diligere desiderans, etiamsi non habeat charitatem, habet utique licitum usum; sed non agit meritorie, quia non ex charitate. Ex quo sequitur, quod licet quodlibet agere elective voluntatis sit bonum vel malum, non tamen quodlibet elective agere est mereri vel demereri. Secunda pars huius corollarii patet ex conclusione prima. Et pro prima parte habetur ex conclus. 1. scilicet quantum ad incomplexum agere, id est, per actus incomplexos elicitos: Sed de complexis probatur: quia omnis complexus actus est resolubilis in incomplexum naturaliter priorem, et causatur; [137] igitur si ille in quantum resolvitur sit bonus, ille complexus etiam erit bonus vel est bonus; et si incomplexus est malus, complexus est malus. Haec ratio est Augustini 11. de Trinit. 19. Rectae, inquit, sunt omnes voluntates, id est volitiones, et sibimet religatae, si bona est ista qua cuncta referuntur; igitur si ista prima volitio sit mala, et omnes quae ad ipsam reducuntur mala sunt. Secundo sequitur, quod non omnis licita dilectio proximi est impletio praecepti de proximo diligendo. Patet: quia impletio praecepti de communi lege est meritum, id est, iustitia actualis; non autem omnis dilectio proximi est actualis iustitia; igitur etc.

Quarta conclusio responsalis ad quaestionem: Qualibet essentia, quae non est Deus, licite potest uti voluntas creata; et quodlibet aliquo modo esse creaturae potest esse licite usus obiectum. Prima pars huius copulativae probatur per auctoritates adductas pro parte affirmativa quaestionis; et secundam partem probo: quia quodlibet aliquo modo esse creaturae aut est creaturam bene esse, et hoc sive sit creaturam esse iustam vel beatam, vel qualitercunque bene esse, licite et meritorie potest mihi placere voluntatem seu creaturam taliter esse propter Deum, et hoc est recte uti; aut est creaturam male esse cum privatione totius bene esse, et hoc potest mihi licite displicere propter Deum finaliter; et universaliter qualitercunque sit aliqua creatura taliter ipsam esse, potest mihi licite placere vel displicere propter Deum; igitur conclusio vera. Ex quo sequitur, quod malis culpa et ipsis virtutibus voluntas potest uti licite. Patet: quia illa detestando, scilicet mala; illa diligendo, scilicet bona propter Deum. Secundo videas quomodo intelligas Maximam illam: Cuius usus bonus est, et ipsum bonum est; et cuius usus malus est, et ipsum malum est: quoniam veritas huius Maximae dictis non obstat, quia laboratur in aequivoco.

Quinta conclusio: Est amorem aliquem dare complexum circa hominem, quo nullo perfectiore specificiter diligi potest ab homine homo. Probatum de illo optimo amore, quo placet homini ut homo perpetue fruatur Deo: nullo enim perfectiore amore potest diligere [138] homo, nisi quod perpetue sit beatus. Non dico tamen, quin ille amor habeat latitudinem gradualem; sed quia ad nihil melius potest diligere homo recte, scilicet purus homo, idcirco ille amor dicitur summus secundum genus quo recte diligi potest homo, sive alia natura intellectualis. Ex quo sequitur, quod incomplexus amor circa creaturas est imperfectior incomparabiliter secundum suum genus, quam amor complexus quo diligitur creaturam esse beatam. Probatum ex Conclusionem: cum usus incomplexus quo licite potest diligere creatura sit praecise proportionaliter tantae perfectionis, quante perfectionis specificae est bonitas essentialis creaturae dilectae: non enim licite plus diligitur B auro amore incomplexo quo placet B incomplexum significatum, quam B sit essentialiter perfecte bonum; in tali namque amore tanta est latitudo rectae

complacentiae, quanta est latitudo essentialis bonitatis ipsius amati; et si ultra procederet latitudo amoris, non licite amaretur, ut puta, si amore quo deberetur diligere anima diligeretur corpus, et sic de aliis. Haec videtur esse mens Augustini 9. de Trinit. cap. 9 Si aliqua res, ait Augustinus, ut mens, se minus amat quam est (Verbi gratia, si se amat tantum quantum amandum est corpus, id est illo gradu specifico dilectionis et complacentiae, cum plus ipsa sit quam corpus) peccat, et est imperfectus amor. Item si amplius se amat quam est (id est, si tantum se amat quantum amandus est Deus, cum ipsa sit incomparabiliter minus perfecta) et sic peccat, et imperfectum amorem habet. Patet igitur, quod amore incompleto creatura non diligitur nisi proportionaliter tanto amore, quanta est ipsius essentialis perfectio: Sed creaturam aliquam (puta hominem) esse beatam est incomparabiliter melius, quam bonum hominis substantiale; igitur. Hinc poteris inferre secundo, quod non tam amabilis est cuiuscunque creaturae substantialis vel essentialis perfectio, quam amabile est mentem esse beatam.

Sexta conclusio. Quilibet amor complexus (cuius obiectum est creaturam esse iustam, vel sapientem, et sic de diis perfectionibus) simpliciter potest quantumlibet licite intendi, nulla autem

[139] incompleta complacentia potest respectu creaturae sic licite intendi quantumlibet. Probatum prima pars: quia in quolibet tali complexo amore pars obiecti est infinita perfectio similis denominationis; puta Deus, qui est infinita iustitia, infinita sapientia, infinita bonitas, infinita veritas, cuius gratia placet perfectio creaturae: in obiecto autem amoris incompleti non est sic circa creaturam; igitur. Confirmatur: quia secundum Bernardum Patrem Nostrum, nemo tam iustus vel sanctus est, quod iustior vel sanctior esse non posset; igitur quilibet proficere potest ultra illud quod est, et iustus iustior, et sanctus sanctior: et si sic; igitur possum conformiter sic diligere aliquem ut sic quantumlibet proficiat, id est non ad certum gradum ultra quem velim ipsum proficere. Et sic patet veritas conclusionis in duplici causa: quarum una est, quia respectu Dei, qui est partiale obiectum amoris complexi de quo dicit conclusio, possum licite amorem quantumlibet intendere circa sic esse creaturae: secunda causa est, quia non tam iustitia esse debes creaturam diligere, quod non iustior esse mihi placet. Ex hac Conclusionem patet veritas praecedentis.

Septima conclusio: Impossibile est mentem creatam se ipsa frui tam bona, quam bona seipsa poterit se uti. Probatum: Impossibile est mentem creatam fruendo seipsa non deficere eo ipso quo se fruitur, et peiorari: sed possibile est ipsam se utendo proficere, et meliorari, scilicet melioratione optimi generis quod consistit inhaerere Deo; igitur. Maior est nota: quia mens creata fruendo se peccat, et ideo peioratur. Et minor patet de recto usu quo se mens diligit propter Deum, ut Augustinus videtur deducere hanc conclusionem 1. de doctr. Christ. 26. ubi dicit: Tunc est quippe optimus homo vel angelus simpliciter; cum tota virtus sua pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu Deo inhaeret; et tunc seipso recte utitur: si autem se propter se diligit, non se refert in Deum; et propterea cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est cum totus inhaeret incommutabili bono, quam cum inde aversus relaxatur. Haec ille. Patet igitur Conclusio: ex quo infero, quod sola fruitione Dei et nullius creaturae fruitione creatura proficit in Deum, [140] et melioratur; et per consequens, creatura solum est utendum et nunquam fruendum, Deo autem solo fruendum et nunquam utendum: quia secundum Augustinum tota perversitas est frui quibus est utendum, et uti quibus fruendum. Et in hoc habetur completa responsio ad quaesitum. Utrum autem Deo sit solum fruendum, ita quod non alio amore sit diligendus Deus quam fruitione; sicut creatura solum est utendum, sic quod nullus amor circa creaturam est rectus nisi usus? videbitur in sequenti Articulo.

### ARTICULUS III

Solvuntur Dubia nunc quantum ad tertium Articulum, movenda sunt dubia: et est

Primum dubium. Utrum sola fruitio sit congruus amor circa Deum, sic quod nullus alius actus qui non est frui, posset licite a creatura elici respectu Dei? Et videtur quod sic. Nullus usus est licitus circa Deum; igitur sola fruitio est rectus amor Dei. Antecedens patet per dicta. Et consequentia probatur: quia sicut sequitur, licite non utitur Deo et diligit Deum, igitur fruitur Deo; ita sequitur, ille tantum licite fruitur Deo, igitur non licite utitur et diligit. Secundo: quia sequitur, Ille recte diligit Deum, igitur non diligit Deum propter aliud a Deo: sed hoc est frui; igitur omne rectum diligere Deum est frui. Tertio: Si aliquo amore qui non esset fruitio licite diligeretur Deus, aut ille amor est usus; sed hoc non, per dicta: aut non esset usus nec fruitio, sed alius actus medius; sed hoc non, quia sit ille amor B; tunc sic: Per B diligitur Deus propter se, vel non: si primum, igitur B est fruitio; si B amore non diligitur Deus propter se, igitur B est usus: sed non est possibile medium inter diligere Deum propter se, et inter diligere non propter se, excepto solo non diligere; igitur nullum diligere est medium inter frui et uti, quod fuit probandum.

Oppositum arguo sic. Amor vel volitio quo vel qua diligo Deum esse trinum et unum, et volitio qua placet mihi Deum Patrem [141] produxisse vel producere filium in divinis, et complacentia qua opto filium nunquam relinquere naturam assumptum, et consimiles volitiones complexa sunt rectae circa Deum, ut notum est: et tamen non sunt fruitiones; igitur dubium est falsum. Quod autem tales actus non sint fruitiones, patet ex quaest. praeced.

Respondeo ad istud Dubium ponendo propositiones.

Prima propositio: Non oportet, quod omnis amor vel volitio circa Deum qui non est fruitio, sit propter aliud amatum vel volitum; nec oportet similiter, quod omne nolle sit propter aliud nolitum. Probatur de amore, quo amo Deo fuisse ante Mundi productionem. Item de nolle patet, quia nolo Deum esse miserum: nullus enim horum actuum est propter aliud a Deo nolitum vel volitum. Ex qua sequitur

Secunda propositio contra Gregorium de Arimino: quod Non omne nolle est usus, et nec omne velle est fruitio vel usus. Utrumque patet de nolle et velle complexis: quia nolle quo nolo Deum desinere esse vel iniustum esse, non est usus; quia tunc esset usus rectus respectu Dei, quod est contra Augustin. Tota perversitas etc. Item velle quo volo Deum esse omnium creatorem, non est fruitio; quia non est reducibile in volitionem priorem incomplexam: item non est usus, quia sic velle licet Deum, quo non est utendum; igitur.

Tertia propositio: Licet quilibet actus voluntatis elicited libere sit malus vel bonus, ut dixi supra; tamen non quilibet talis est usus vel fruitio. Patet per praecedentes.

Quarta propositio quae sequitur ex praedictis: quod Licet non sit dare medium incomplexum inter uti et frui; possibilis tamen est medius actus complexus inter frui et uti, et hoc tam respectu Dei, quam respectu creaturae. Prima pars huius propositionis patuit supra artic. praeced. conclus. 1. Secunda pars patet hic per praemissas, et hoc quantum ad Deum: sed quod hoc sit verum de creaturis patet, si angelus fruatur seipso, et tunc velit se fore perpetuum; et tunc illud velle nec est usus, quia nihil hic diligitur propter aliud volitum dilectum, nec est fruitio per prius dicta; igitur est velle medium. [142]

Quinta propositio: Non sequitur: B creatura quolibet obiecto quod assumit, aut fruitur aut utitur; igitur B creatura qualibet volitione quam habet circa idem obiectum, utitur aut fruitur eodem obiecto. Probatur, quia antecedens potest esse verum consequente falso: quia si quis diligit Deum fruitive vel utitur male, potest tum habere circa Deum huiusmodi actus complexos, cuiusmodi tamen actibus nec fruitur Deo, nec utitur; ut visum est.

Sexta propositio: Non sequitur: B voluntas quocumque fruitur Deo, recte vult circa Deum; igitur quocumque recte vult circa Deum, tunc actualiter fruitur Deo. Probatur sicut praecedens immediate. Ex quo patet responsio ad Dubium, scilicet, quod non sola fruitio recte circa Deum volumus, nec omnis amor Dei iustus est frui Deo. Ad rationes dubii, et ad motiva Gregorii de Arimino tenentis oppositum satis habetur quid sit dicendum ex propositionibus praemissis.

Secundum dubium. An inter dilectionem qua quis licite diligit Deum, et inter dilectionem qua quis tenetur diligere seipsum et proximum sit dare dilectionem mediam, scilicet qua non est licitum diligere Deum nec hominem? Et videtur quod sic. Quia si non; sequeretur, quod dilectio Dei infinite modice distat a dilectione hominis: item sequitur, quod per nullum excessum distat; quod videtur esse falsum.

Oppositum arguitur. Si sit possibilis amor medius, sit ille B; tunc cum non sit licitum B amore diligere Deum, poterit B gradu diligi creatura, quae sit C: sed tunc poterit dari alia creatura tanto perfectior C, quanto C est perfectior homine, quae sit D; et illa, scilicet D, deberet diligi aequali dilectione sicut Deus: quod est falsum. Consequentia videtur pro tanto: quia sicut B est gradus medius inter Dei dilectionem et hominis dilectionem, ita C esset creatura media inter Deum et hominem; igitur si D distat a C tanta distantia quanta distat C ab homine, et tantum distat ab homine D sicut Deus: ut videtur. [143]

Respondeo quod hic quidem Doctor dicit quatuor. Primo, quod dilectio Dei est immediata specificiter dilectioni hominis. Secundo dicit, quod per nihil excedit nisi quia quaelibet dilectio Dei est in aliquanto gradu suae speciei distante a non gradu; et per consequens distat ab inferiori specie. Tertio dicit, quod infinite quilibet gradus distat a gradu inferioris speciei immediate: sed hoc videtur impossibile, scilicet quod infinite distat, et tamen est immediata; hoc enim videtur esse contradictio. Quarto dicit, quod nulla datur dilectio media. Haec videntur falsa, sicut in parte probat ratio facta pro parte affirmativa dubii. Item, quia infinitae species perfectionaliter se excedentes sunt possibles supra hominem, et Deus infinite distat in perfectione ab omnibus et a qualibet creabili perfectione; quare igitur non possent esse dilectiones proportionaliter mediae, et secundum speciem obiectorum sese excedentes, non video.

Primo, igitur dico cum M. Hugolino, quod supra dilectionem hominis infinitae sunt dilectiones possibles specificiter perfectiores.

Secundo dico quod dilectio Dei est alterius generis, et superponitur toti generi dilectionis creaturarum; in quo tamen genere nullam est dare supremam vel infimam speciem dilectionis.

Tertio dico, quod per nullam replicationem dilectionis in genere dilectionis creaturarum devenietur ad dilectionem aliquam superioris generis, scilicet Dei dilectionis debitae; sicut nec per replicationem quantumcunque duplicando vel quantumlibet multiplicando, per creaturas adaequabitur perfectio ipsius Dei: voco autem dilectionem debitam Dei quae est conformiter praecepto, quae scilicet diligitur Deus sicut diligi debet a creatura.

Unde quarto dico, quod non omnis recta fruitio est quolibet usu perfectior: voco hic rectam, quae non est culpabilis. Unde existens sine caritate, si diligit Deum propter se, non eo ipso peccat; et tali fruitione perfectior est usus aliquis, puta procedens ex caritate et meritorius.

Quinto tamen dico, quod quolibet usu aliqua fruitio est incomparabiliter [144] perfectior: quolibet inquam usu recto, quo creatura diligitur potest vel odire.

Ex his patet quid sit dicendum ad rationem in oppositum Dubii: quia si B sit dilectio generis superioris, tunc Deus diligi potest per B; si autem sit generis inferioris, tunc per B diligitur aliqua creatura: nec sequitur, quod per replicationem perveniri possit [...] sicut dictum est.

Tertium dubium est. Utrum dilectio Dei propter beneficia sit usus, vel fruitio, vel actus medius?

Respondeo sine argumentis, quod dilectio qua Deus diligitur propter beneficia potest dupliciter sumi. Uno modo prout est dilectio complexa, sicut dum placet mihi Deum redemisse Mundum; et sic diligo complexe: et ut sic potest reduci in causam priorem dupliciter, scilicet vel in alterum dilectum vel in ipsummet Deum, et illa secundum Cur? debet reduci in causam priorem scilicet in bonitatem Dei essentialem, et tunc patet quod est actus medius; si autem reduceretur in alterum dilectum, tunc esset usus complexus, ut si reduceretur in commodum beneficiati, et ibi staretur vel sisteretur.

Secundo modo dilectio ista potest dici incomplexa dilectio Dei, ad quam beneficia Dei excitant: et sic est fruitio eadem secundum speciem qua diligitur Deus propter se, et forte est intendere fruitionem incomplexam, si sit in gratia; sed si non sit in gratia, tunc est alterius speciei fruitio. Unde beneficia sunt occasiones ad multiplicius diligendum et fruendum, et ad novas de Deo incomplexas fruiciones eliciendum. Iuxta quod dicit Bern. de dilig. Deum: Si totum me debeo pro me facto; quid igitur debeo pro me tali modo reffecto vel reparato? Et B. Augustin. lib. Exhortat. vel de salutaribus Documentis ad Iulianum Comitem: Si terrenos parentes cum tanto affectu diligimus, qui uno tempore sustinere labores; nonne caelestis Pater magis amandus, qui pro nobis crucifixus est? Haec ille. Sunt igitur beneficia Dei in nobis excitationes ad diligendum ipsum multiplicius. Sed [145] diceres: Nunquid complexa complacentia (de qua in primo membro hic dictum est) est inferioris speciei a fruitione? Dico, quod alterius est generis vel non subordinati, vel inferioris. Doctor praedictus respondet ad illud dubium dicens, quod dilectio qua diligitur Deus propter se, excedit dilectionem Dei propter beneficia infinite. Sed non ponit modum, quomodo illa infinite minor conveniat Deo. Idcirco contra: quia non minus diligitur Deus quia creator, vel quia creavit vel redemit; alioquin beneficia essent remissiva Dilectionis Dei. Non videtur igitur bene dictum, quod infinite minor sit ista quam illa.

Ad rationes principales. Ad primam concedendum est, quod sine peccato potest assentire tali modo, quod velit obiective odium non esse; et hoc potest fieri praeter hoc quod Deus odiatur: et ita licet. Ad confirmationem dico: quod bene probatur, quod stante dictamine talis sic dictans non potest se conformare dictamini suo sine peccato; et ideo debet dictamen deponere alioquin erit perplexus. Ad confirmationem primam neganda est consequentia: ad probationem falsum est antecedens.

Ad secundam rationem patet ex dictis, ubi negatur opinio Gregorii de Armino.

Ad tertiam neganda est consequentia. Ad probationem per Augustinum dico, quod non habetur ex dictis verbis Augustini plus, nisi quod omnis qui fruitur, utitur: et ad illius dicti veritatem sufficit, quod qui fruitur, utatur ipsa potentia; sicut dicimus, quod qui scindit utitur serra: quod est uti largo modo. Non tamen oportet, quod omnis qui aliquo fruitur, illo eodem utatur quo fruitur; nec hoc vult Augustinus. [146]